

LECTORI

S. P. D.

A V T O R.



Annus jam agitur sextus, ex quo primum studiorum specimen editurus pauca quaedam ac levidensia de historia philosophica studio commentari conatus fui. Non displicuit conatus iste Viris doctis ac ingenuis, adeo ut vel magis eorum favore ac approbatione ad alia tentanda haecenus me incitari fecerim passus. Sedebat tunc temporis animo in per investigatione historiae philosophiae pergere, & praecipue otium meum ad illustrationem disciplinae stoicae, quatenus imprimis cum Juris scientia cohaeret, commodare. Sed anni mutarunt otium, mutarunt etiam mentis institutum, quamvis illud plane deserendum nondum existimem. Sunt satis multi, qui nunc quidem hac opera delectantur, neque desunt qui ipsorum invigilant studiis, adeo ut eruditum orbem qualibuscunque meis curis facile indigere posse persuasus sim. Inprimis vero (ut scio) cordatorum explebit desideria Amici Integerrimi (quem publice, ut vincula rumpat, cohibeatque superfluam diligentiam, non possum non laceffere) historia philosophica stylo patrio mox in lucem ex voto plurium proditura. Interim non plane oblivioni linquere primos hos meos conatus volui, praesertim cum viderim eosdem studiosae Juventuti & hic loci & alibi non ingratos fuisse. Hinc subinde inter alia negotia pristinas recolui cogitationes,

paucā